Quelle: http://manuscripta.at/?ID=944
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

84

tio et peccare homines et puniri propter peccata non tacui. nunc quoque
que persecutiones christianorum acte sint et que ultiones secute sint. absque
eo quod omnes ad peccandum generaliter proni sunt. atque ideo singillatim corripiuntur
Explicit liber sextus Pauli Orosii presbiteri. expediam.
Incipit liber SEPTIMUS.
SUFFICIENTIA. Ut arbitror documenta collecta sunt.
quibus absque illo archano quod paucorum fidelium est probari
de medio queat. unum illum et verum deum quem christiana fides
predicat. et condidisse mundum creaturamque eius cum volu
it. et disposuisse per multa. cum a multis ignoraretur. et con
firmasse ad unum per unicum declaratus est. simulque potentiam sapientiamque eius
multimodis argumentis eluxisse. In quo quidem angustias deiectasque mentes
offendi paulisper intelligo. quod tante potencie. tanta paciencia misceatur.
Si enim potens erat inquiunt creare mundum. componere pacem mundi.
insinuare mundo cultum ac potenciam sui. quid opus fuit. tanta ut ipsi
sentiunt. tam preciosa patientia. ut in ultimo erroribus. cladibus. labo
ribusque hominum fieret. quod a principio virtute eius quem predicas dei sic pocius
cepisse potuisset. Quibus quid veracium respondere possim. adhoc ab inicio
creatum et institutum humanum genus. ut sub religione cum pace sine la
bore vivens. fructu obedientie eternitatem promereretur. sed abusum bonitate
creatoris. libertatem indulgentie in contumaciem vertisse licentiam. atque ex
contemptu in oblivionem defluxisse. iustamque nunc esse patientiam dei. et ius
tam in utramque partem. ut nec contemptus disperdat in totum. cum mise
reri velit. et affligi laboribus dum velit. sinat contemptus potens. Deinde
subsequens esse iuste semper adhibere quamvis ignoranti gubernationem.
cui aliquando pie restitutus sit penitentia utique atque antique gratie facultatem.
Sed hec quamvis et si verissime fortissimeque dicuntur. fidelem tamen atque obedientem re
quirunt. Michi autem videris an aliquando credituris. certe nunc cum incredulis
actio est. Promptius ea proferam que et ipsi si probare noluerint. improbare non
possint. Itaque quantum ad conscientiam humanarum mentium pertinet. utrique
sub reverentia religionis et confessionis cultuque superne potencie vi
vimus. distante dumtaxat fide. qua nostrum est fateri ex uno et per unum
deum constare omnia. illorum tam multos deos putare quam multa sunt elemen
ta. Si potencia dei inquiunt quem predicatis fuit. ut romanorum imperium
tam amplum ac tam sublime fieret. cur ergo patientia eiusdem obsu